

niter DD. in dict. leg. Gallus. s. Et quid sit tantum. ff. de Liber. & posthum. licet Jas. tenet ibi contrarium. 15. column. num. 50. Sed certe superior opinio communis est vera, & tenenda in iudicando, & consulendo, quam ego sequor. Quoad tempus tamen bene potest Princeps privilegium, vel rescriptum concedere in præjudicium tertii; ut, dilationem solutionis debitori concedendo: text. est singularis, & unicus in iure in leg. Quoties. Cod. de Precib. Imperator. offer. & ad hoc summè notat, & commendat ibi Glos. ordinaria, Odofred. Cynus, Petrus Jacob. Butri. Bartol. Alberic. Paul. Salicet. Jason, & communiter DD. & idem disponit lex 32. tit. 16. partit. 3. & confirmatur, quia lex humana positiva habet vim, & auctoritatem à summo Deo Domino nostro, & ab eo recipit vigorem, & idè meritò obligat subditos, ad ejus observantiam; ut probatur Proverb. cap. 8. ubi dicitur: Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Et tenet D. Augustin. in lib. 1. de Liber. arbitr. dicens: Nihil esse justum, ac legitimum, quod non ex aeterna lege homines derivaverint: & tenet Paulus Apostolus ad Roman. cap. 13. dicens: Non est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

TEXT. II.

Porque nuestra intencion, y voluntad es, que los Letrados en estos nuestros Reynos sean principalmente instructos, è informados de las dichas Leyes de nuestros Reynos, pues por ellas, y no por otras han de juzgar: Y á Nos es hecha relacion, que algunos Letrados nos sirven, y otros nos vienen á servir en algunos cargos de Justicia, sin haver pasado, ni estudiado las dichas Leyes, y Ordenamientos, y Pragmaticas, y Partidas: de lo qual resulta, que en la decision de los Pleytos, y Causas, algunas veces no se guardan, ni platican las dichas Leyes, como se deben guardar, y platicar, lo qual es contra nuestro servicio. Y porque nuestra intencion, y voluntad es, de mandar recoger, y enmendar los dichos Ordenamientos, para que se ayan de imprimir, y cada uno se pueda aprovechar de ellos: Porende, por la presente Ordenamos, è Mandamos, que dentro de un año primero siguiente, y dende en adelante, contado desde la data de estas nuestras Leyes, todos los Letrados que hoy son, è fueren, assi del nuestro Consejo, ó Oidores de las nuestras Audiencias, y Alcaldes de la nuestra Casa y Corte, y Chancillerias, do tienen, è tuvieren otro qualquier cargo, y administracion de Justicia, ansi en lo Realengo, como en lo Abadengo, como en las Ordenes y Behetrias, como en otro qualquier señorio de estos nuestros Reynos, no puedan usar

de los dichos cargos de Justicia, ni tenerlos, sin que primeramente ayan pasado ordinariamente las dichas Leyes de Ordenamientos, y Pragmaticas, cas, Partidas, y Fuero Real.

Id est:

Quoniam nostra mens atque voluntas est, ut viri litterati in nostris his Regnis in primis sint instructi, & edocti in prædictis Legibus nostrorum Regnorum, siquidem per eas, & non per alias judicare debent: Et Nobis relatum est, nonnullos viros litteratos in munere administrandi Justitiæ Nobis jam inservire, & alios ut inserviant venire sine ulla relectione, aut studio prædictarum Legum, Ordinationum, Pragmaticarum, & Partitarum: Unde fit quod in decisione Litium, & Causarum, aliquando non observentur, neque in usum veniant, ut deberent, prædictæ Leges; quod est contra nostrum obsequium. Et quoniam nostra mens, & voluntas est, ut præcipiamus colligi, atque emendari prædictas Ordinationes, ut imprimantur in vulgarem usum: Idcirco, per præsentem Ordinamus ac Præcipimus ut intra annum proximum, & deinceps, à data harum nostrarum Legum, Litterati omnes viri, qui nunc sunt, vel futuri sunt, tam nostri Consilii, quam Audientiarum nostrarum Auditores, & Alcaldii (hoc est Præpositi Justitiæ) Domus ac Curie nostræ, & Cancellariorum, ubi habent aut habiuri sint aliud quodcumque munus, aut Justitiæ administrationem, tam in Regali ac in Abbatiano territorio, quam in Ordinibus, & Communitatibus (hoc est Behetrias) sive in quocumque alio horum nostrorum Regnorum dominio, non possint uti prædictis Justitiæ officis, neque illa habere, nisi prius ex ordinario more relegerint prædictas Leges Ordinationum, Pragmaticarum, & Partitarum, ac Forum Regium.

COMMENTARII

In Legem II.

SUMMARIUM.

- 1 Judex, quas dotes habere debeat?
- 2 Judices, à quo eligantur?
- 3 Judicum plerique ignari, & inexpertissimi.
- 4 Judicis ordinarii officium.
- 5 Advocatus, quis esse possit?
- 6 Procuratoris officium.
- 7 Baccalaureus quis creari possit?
- 8 Scolaris per quinquennium absens perdit privilegium scholarium.
- 9 Licenciatus intra quod tempus creetur?
- 10 Qua personæ in iudices eligi possint?

Not

Nota ex ista lege, quòd in isto Regno, antequam quis possit esse iudex, debet omnes leges hujus Regni perlegere, & discutere: & adde, quòd prædictus iudex debet esse Litteratus, & scientia legali præditus, ut rectam, & congruam justitiam partibus possit administrare; ut consulit, imò præcipit Imperator Justinianus in 1. Proem. ff. cap. de Ration. & Meth. s. Nos. Cum seq. Ubi saltem per quinque annos jubet professorem hujus scientiæ operam dare: imò hodie requiritur studuisse per decem annos in aliqua Universitate approbata, de quo debet constare per fidem, & testimonium Notarii, ut possit exercere aliquod officium publicum, & jurisdictionem; & debet esse ætatis plusquam 25. annorum: & si aliter officium acceptaverit, punitur pena privationis ejus, & inhabilitationis, ut deinceps nullum officium possit exercere; ita disponit Pragm. hujus Regni 58. fol. 63. lib. Prag. quæ oportet servari tanquam summè necessaria: & ultra hoc, principaliter requiritur, quòd talis iudex sit probata vitæ, & conscientia præditus; ut recta, & iusta sint omnia judicia ejus: quia ubi tale fundamentum deficit, nihil boni superædificari potest: ita docet, & monet ipse Justinianus in dicto Proem. ff. s. Illud verò, versic. Cum oportet. Cujus pulchra verba sunt: Cum oportet prius animas, & postea linguas fieri eruditias: Et habetur, Proverb. cap. 12. & probatur ex verbis Domini nostri Jesu Christi in Evangelio Joannis, cap. 14. Ego sum via, veritas, & vita: Et habetur per Div. August. Epistol. 85. dicentem: Planè Summus Deus noster vera justitia est, quam esurire, & sitire debemus: & per eundem de Civitat. Dei. lib. 21. cap. 23. & in Epistol. Pauli ad Romanos, dicens: Omnis Christi actio nostra est instructio, & in omnibus operibus nostris simus ejus imitatores: & docet, & monet Div. Basilii, Constitution. Monast. cap. 2. & cap. 5. & D. Chrysostr. in Epistol. ad Corinth. cap. 4. idem Chrysostr. Homil. 51. Et divitias, & honores hujus sæculi, & omnia bona ejus propter hunc finem contemnamus; & pro omni lucro, & commodo, quod sit in mundo, non debemus à gratia, justitia & charitate Domini nostri deviare: ut monet Beatus Paulus in Epistol. 3. ad Philippenses, & Beatus Hieronym. in Cantic. & August. super Joan. & Chrysostr. Homil. 35. Idem Chrysostr. Genes. 13. & probatur in Evangel. Matthæi. cap. 16. & Marci. cap. 8. dicente: Quid prodest homini si totum mundum lucratur, anima verò sua detrimentum patiat? Et dicit Beatus Basilii Homil. in quadraginta Martyr. Si terrena ista sempiterna essent, quis ea non contemneret, pro cælestibus? Cum verò sint caduca, quis ea cælestibus anteponet? Idem Basil. eodem loco; ut sapientem supra petram edificatum nulla vis ventorum subvertit; ita Christianum rectum à vero,

& iusto nulla res removet. Itaque in primis quaramus Regnum Dei, & justitiam ejus, & cor nostrum in eam dirigamus, & omnia adjiciuntur nobis. Et ta docet & consulit Dominus noster in Evangelio Matthæi. cap. 6. Et iste sit noster thesaurus inventus in agris, & margarita in terris, & gemma in litore maris.

In quo, ut expertus, unum adverto in obsequium & reverentiam Domini nostri, & utilitatem Reipublicæ: quòd in nostro Regno, & civitatibus ejus, regulariter eliguntur Judices, & Governatores à nostro Rege, & Præsidi sui regalis Consilii, qui sunt Nobiles, Illustres, & Magnates & ipsi eligunt Judices minores ordinarios juvenes, insipientes, & inexpertos, & ferè nullius scientiæ, gratia, vel favore: & sic nullam administrant justitiam, & nimis quotidie gravant partes. Et certè cognovi plures in hac Civitate Salmanticensi, & aliis locis, qui penitus carebant litteris, & multitudine negotiorum adhuc non erat sibi tempus librum aperiendi, nec processum, causam, & merita ejus discutiendi, nec præmeditandi; imò omnia ex libero arbitrio decidebant, & in multis causis, & negotiis consilium Tabellionum sequebantur. Nec obstat si dixeris, quòd appellatio, quæ à jure conceditur tollit hoc inconveniens: quia aliquando per eos denegatur appellatio; aliquando condemnatus est ita pauper, quòd deficit sibi facultas prosequendi appellationem. Et sic satis atque diu maxima affectione cogitavi, quòd remedium summè necessarium esset, ut Princeps, vel Præsides regalis Consilii, & non alius eligat prædictos iudices, in quibus sit scientia, & conscientia, cum salario competenti: Cùm principale onus, & cura cujuslibet Principis, & ejus Præsidis sit, ejus Regnum, & personas sibi subditas in recta, & perfecta justitia conservare.

Item, talis iudex ordinarius debet æquo animo omnibus præstare aditum, tam advocatis, quam litigantibus; & negotia eorum libenter audire, & examinare; & adversus eos non scandescere: non tamen debet se ita facilem præbere, ut contemptibilis videatur; nec precibus calamitosorum statim annuere: imò constantia, & prudentia omnia regat, & animi sui motum, & propositum in secreto habeat, & vultum ejus semper detegat, & disimulet: textus est moralis & benè notandus in leg. Observandum. ff. de Offic. Præsidi. & ibi Glos. ordinari. & communiter DD. text. in leg. Nec quicquam. s. Circa. ff. de Offic. Procon. idem disponit lex 13. tit. 4. part. 3. Unum tamen est, quòd non dicunt, nec permittunt prædicta jura, quòd unum habeant in corde, & aliud fingant, & asserunt exterius; quia hoc esset injustum, & actus dolosus, & non permissus, secundum Alberic. in dict. leg. Observandum. Ex quo inferitur

ms-

notabiliter, quod non licet iudici securitatem offerre delinquenti, ut confiteatur delictum spe veniæ promissæ: aliás talis confessio erit nulla, & non inducit probationem delicti. Et in terminis reperio, quod ita tenet Joan. de Imol. in consiliis suis, consil. 106. quod dictum reputat unicum, & singulare Hyppolitus de Marsil. in leg. 1. §. *Questioni fidem. de Quæstion.* de quo articulo aliás dixi in *materia delictorum. cap. 12. num. 6.* ubi omnino videas. Item etiam adde, quod ad hoc ut quis possit esse advocatus, requiritur quod studuerit per quinque annos: text. est in *1. Proam. ff. cap. de Rat. & Metho. text. in leg. Petitiones. Cod. de Advocat. divers. Judic. text. in leg. Jubemus. §. penultim. eod. tit.* & utrobique communiter DD. Et talis advocatus, ita demum potest percipere salarium, quando se subscriperit in aliqua lite, vel causa, aliás non; ita disponit Pragmatica hujus Regni 54. fol. 56. ubi etiam vide de aliis conditionibus, & requisitis advocatorum.

6 Item adde, quod Procurator alicujus causæ non debet per se aliquod scriptum, vel allegationem facere sine consilio, & subscriptione advocati, vel Litterari, nec Petitiones aliquas Summarias, quæ attinent ad solemnitatem, & ordinem Processus, ut petere terminum probatorium, vel conclusionem in causa, vel quid simile, sub certa pœna; ita disponit Pragmatica. 40. fol. 33. & licet illa loquatur in Cancellaria Regali de *Valladolid*: tamen eadem ratio videtur, & est summè necessaria, & justa ut servetur in aliis partibus hujus Regni propter grave damnum, quod experientia constat provenire Partibus litigantibus; ut sæpè vidi defacto, & ita practicatur à peritis iudicibus, & maxima cura, & sollicitudine hoc procuravi in causis pauperum incarceratorum hujus Civitatis: Nam sæpè sæpius vidi, pro detestabili interesse pecuniario plures Procuratores agitare Causas Criminales, in defensione eorum allegando impertinentia, & nullius utilitatis, imò penitus contraria in causa ipsa principali, sine consultatione alicujus periti advocati.

7 Et hodiè in nostra Universitate Salmanticensi requiritur idem tempus, ut possit quis creari Baccalaureus, ut cavetur in Constitutionibus, & Statutis ejus, aliás posset puniri tanquam exercens officium, de quo non est capax, & teneretur parti ad interesse: argument. text. in leg. *Idem juris. ff. Ad leg. Aquil. & in leg. Illicitas. §. Sicuti Medico. ff. de Officio Pras. & ibi Alberic. & alii Doctor. idem Alberic. in leg. 1. Cod. de Advocat. divers. jud. idem Alberic. in Authentic. Hodiè. Cod. de Judic. Specul. in tit. de Advocatis. in fin. versic. Quid si per imprudentiam.*

8 Et adde, quod sicut per quinquenium quis præsumitur acquirere scientiam, ut possit advo-

cari, & creari Baccalaureus: ita Scholaris, qui est in studio, & gaudet beneficio Scholarium, si se absentat, & desinit revertere ad studium per quinquenium, præsumitur recessisse animo non revertendi, & amittit privilegia scholaribus concessa: ita probat textus singularis in jure in leg. 2. Cod. de Primicerio, lib. 12. per quem ita tenet ibi Bartol. Plat. & communiter DD. idem Bartol. in leg. *Aut facta. §. Tempus. ff. de Pœnis*; probat etiam text. in leg. 3. Cod. de Domesticis, & prorectoribus, & ibi communiter DD.

9 Et similiter, ad hoc ut possit quis creari Licentiatus, oportet quod publicè legat per alios quinque annos, & publicam repetitionem faciat, ut cavetur in *Constitutione 18. hujus Universitatis*, nisi per Summum Pontificem dispensetur, ut quotidie fit, & hodiè generaliter est dispensatum quoad omnes, nam sufficit studuisse ordinariè per dictos quinque annos, vel majorem partem eorum post gradum Baccalaureatus, & publicam repetitionem facere, licet per aliquod tempus non legerit; & ita quotidie fit & practicatur; & postea poterit liberè creari Doctor, nulla alia solemnitate requisita.

10 Item pro complemento hujus Legis quæro, quæ personæ possint esse Judices? Et breviter, & resolutivè respondeo, quod regulariter quilibet admittitur, nisi Lege reperiat prohibitus: quia in his, quæ sunt à jure permissa, facilius modus est personas prohibitas proponere, & per consequens aliæ censentur admittæ: text. est formalis & expressus in leg. *Cum Prator. ff. de Judiciis*, cujus verba sunt: *Cum Prator unum ex pluribus judicare vetat, ceteris id committere videtur*; & ibi Glos. ordinar. & communiter DD. text. in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. text. in leg. 1. & per totum. Cod. *Qui testam. sacer. poss. text. in §. 1. & per tot. Instit. Quibus non est perm. fac. Testam. text. in leg. 1. ff. de Verb. obligat. text. in leg. Qui accusare. ff. de Accusat. text. in leg. Ex eo. ff. de Testibus.* & particulariter prohibentur personæ, quæ continentur *id dict. leg. Cum Prator. ff. de Judic. & in leg. 4. tit. 4. 3. partit.*

### TEXT. III.

11 **O**rdenamos, y mandamos, que la solemnidad de la Ley del Ordenamiento del Señor Don Alphonso, que dispone quantos Testigos son menester en el Testamento, se entienda, y platique en el Testamento, abierto, que en Latin es dicho *Nuncupativo*, ahora sea entre los hijos, ò descendientes legítimos, hora entre herederos estraños: pero en el Testamento cerrado, que en Latin se dice in *Scriptis*: Mandamos, que intervengan à lo me-

nos

12 nos siete Testigos con un Escribano: los quales hayan de firmar encima de la Escritura del dicho Testamento ellos, y el Testador, si supieren, ò pudieren firmar; y si no supieren, y el Testador no pudiere firmar, que los unos firmen por los otros, de manera, que sean ocho firmas, y el signo del Escribano: Y mandamos, que en el Testamento del ciego intervengan cinco Testigos á lo menos, y en los Codicillos, si no tuvieren la dicha solemnidad de los intervenga la mesma solemnidad, que se requiere en el Testamento *Nuncupativo*, ó abierto, conforme á la dicha Ley del Ordenamiento: los quales dichos Testamentos, y Codicillos, si no tuvieren la dicha solemnidad de Testigos; Mandamos, que no fagan fe, ni prueba en Juicio, ni fuera de él.

13 **O**rdenamos, ac præcipimus, ut Solemnitas legis Ordinationis Domini D. Alphonso, quæ disponit quot Testes sint ad Testamentum necessarij, intelligatur atque exerceatur in Testamento, quod Latine dicitur *Nuncupativum*, tam inter filios, aut descendentes legitimos, quam inter heredes extraneos: Verum in Testamento clauso, quod Latine appellatur in *Scriptis*: Præcipimus, ut intersint ad minimum septem Testes, & Notarius unus: qui ipsi superscribant nomina super scripturam Testamenti cum Testatore, si norunt, aut possint scribere; Sin minus, neque Testator ipse possit, alij pro aliis superscribant, ita ut sint octo superscriptiones, & signum Notarii: Et præcipimus, ut in cæci hominis Testamento intersint ad minimum quinque Testes: Et in Codicillo adhibeatur eadem solemnitas, quæ in Testamento *Nuncupativo*, aut aperto, justa prædictam Legem Ordinationis: Quæ Testamenta atque Codicilla, si non habuerint prædictam solemnitatem, Præcipimus ne ullam fidem, aut probationem faciant in Judicio, aut extra judicium.

## COMMENTARII

### In Legem III.

#### SUMMARIUM.

14 Quo jure sit introductum Testamentum? Vide in principio.

- 1 Quæ personæ prohibeantur testari.
- 2 Impubes, an possit testari?
- 3 & 4. An Princeps possit atatem Minori supplere in actu testandi?
- 5 Pubes habens curatorem, an possit testari?
- 6 Furiosus prohibetur testari.
- 7 Mentecaptus, an possit testari?
- 8 Quando dubitetur, an fecerit quis Testamentum tempore furoris, vel sana mentis, quid

- 9 Fatuus, an possit testari?
- 10 Filius familias, an possit testari?
- 11 Condemnatus ad mortem, an possit testari?
- 12 Servus, an possit testari?
- 13 An possit testari Monachus?
- 14 An possit testari Prodigus?
- 15 Excommunicatus, an possit testari?
- 16 An Mutus & surdus possit testari?
- 17 An ille qui nulla bona habet possit testari?
- 18 Si quis cepit facere Testamentum cum solemnitate requisita, & non perfecit, an valeat id quod disposuit?
- 19 Declaratio ad textum in leg. 1. tit. de los Testamentos. lib. 5. Ordinamenti.
- 20 Si quis testatur in alio Regno, quam formam debet adhibere?
- 21 Si Testamentum est factum in alia lingua diversa, an possit per unum interpretem declarari?
- 22 Si quis testetur in loco infidelium, Quæ solemnitas requiratur?
- 23 Quæ sit forma Testamenti.
- 24 Ratio per quam requiratur tanta forma in Testamento de jure communi.
- 25 Testes adhibiti in Testamento debent esse Masculi.
- 26 Testes debent esse puberes.
- 27 Testes debent esse liberi.
- 28 Quid? si loquimur in Testamento *nuncupativo*.
- 29 Testes debent esse rogati.
- 30 Testator & Testes debent subscribere.
- 31 Quid? si Testator non scit scribere.
- 32 Testes, per hanc legem non requiruntur quod subscribant.
- 33 An requiratur quod dicat Testator uno, & eodem contextu illud esse suum Testamentum?
- 34 An Nomen heredis debeat scribi per Testatorem manu propria?
- 35 In Testamento in scriptis, an requiratur publicatio?
- 36 An ille qui non est scriptus in Testamento, sed præteritus, vel exhæredatus possit petere à iudice, ut publicetur?
- 37 Si Testamentum in scriptis fiat manu *Tabellionis*, si requiratur publicatio?
- 38 An hodie per istam Legem possit fieri Testamentum in scriptis manu, & scriptura privata, secuta legitima publicatione.
- 39 & 40 Sententia negativa statuitur, & fundatur.
- 41 Solutiones ad fundamenta pro contraria parte.
- 42 An in Testamento in scriptis requiratur Dies, Mensis, & Annus?